

pateretur persecutione, sed ad misericordiam Dei confugi, & exaudiuit me in latitudine Domini. i.e. exaudiuit me, & de angustiis in latitudine trastulit. Sicut autem per angustias significatur tribulatio, ita per latitudinem, significatur liberatio a tribulatione. Quod autem id possit David de persona sua merito dicere, notissimum est ex Psal. 17. & 53. & ex aliis multis. Quod idem etiam conueniat Ecclesiae, non minus est notum. Certe initio nascentis Ecclesiae, cum Herodes S. Petrum Ecclesiae totius Pastorem, & Principem inclusisset in carcerem, oratio fiebat ab Ecclesia sine intermissione ad Deum pro eo: & continuo exaudita est, & maximo miraculo de tummis angustiis tribulationum in latitudinem magnae cōsolationis educta est, & quoties de angustiis variarū persecutionū Neronis, Decii, Diocletiani, & similiū Tyrannorum ad latitudinem pacis, & quietis Deo misericordia transiuit; toties diceret potuit. De tribulacione invocaui Dominum, & exaudiuit me in latitudine Dominus.

**V I.** Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo.

**V II.** Dominus mihi adiutor, & ego despiciam inimicos meos.

Experimento proprio doctus David, siue populus Dei magna fiducia exultat, & non dicit, Dominus mihi adiutor est, nihil deinceps patiar; scit enim se adhuc peregrinum inter hostes multa passurum: sed dicit, Dominus mihi adiutor, supple est, non timebo quid faciat mihi homo, id est, non turbabor propter mala, quae mihi infert homo: quia Dominus omnia cōuertet in bonum. Sic enim Dominus monuit; Nolite timere eos, qui occidunt corpus, & post hęc non habent amplius quid faciant. Matt. 10. Nam capillus de capite vestro non peribit, Luc. 21. & Apostolus, momentaneum & leue tribulationis nostrae æternum gloriae pondus operatur in nobis 2. Cor. 4. Quare merito addit, & ego despiciam inimicos meos, quippe qui faciendo in corpus, gloriantur de seruatis.

Bonum est confidere in Domino, quam VIII confidere in homine.

Bonum est sperare in Domino; quam I X sperare in Principibus.

Deducit ex dictis utilem admonitionem, de spe collocanda in Deo, non in hominibus, quantumvis potentibus. Deus enim & potest, & vult confidentes in se iuuare homines autem sèpè non possunt, sèpè etiā variis passionibus acti nolunt. Quod expertus fuerat David, qui aliquando sperauit in Saule Rege suo, alias in Achis Rege Getheo, alias in Achitophel cōsiliario prudentissimo, alias in aliis, & in nullo fidei inuenit. in Deo autem nunquam sine prospero eventu sperauit. Ait igitur monens omnes, Bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine, id est, magis quam cōfidere in homine, Bonum est sperare in Domino, magis quam sperare in Principibus, terrenis videlicet. Hæc comparatio accommodata est i. firmitati humanae, cui nota est potentia hominum, & maximè Principi; Dei autem potestas occulta est plurimis, qui neque vident, neque considerant, fortasse etiam non credunt magnitudinem Dei. alioqui dicendū fuisset, Bonum est sperare in Domino, malum autem sperare in homine. Sic enim ait Hieremias cap. 17. Maledictus homo qui confidit in homine. Neque tamen malum est spem aliquam collocare in adiutorio Angelorum, vel hominum honorū, quia hæc spes ad Deum refertur, qui non solum per se, sed etiam per suos adiuuat confidentes in se.

Omnis gentes circuierunt me, & in X nomine Domini, quia vltus sum in eos.

Circundantes circundederunt me, & XL in nomine Domini, quia vltus sum in eos.

Circundederunt me sicut apes, & exarserunt sicut ignis in spinis, & in nomine Domini, quia vltus sum in eos.

Oleum-